vincibilis, amor qui omnia vincit, per vias urbis publicas, per
fora intempestâ nocte tanquam mancipium ad triumphum in amplum
summi Pontificis palatium rapitur. At ne summum scelus non rite
4. in Pontificis palatio. fiat, unus ex ima faece lictorum (nescio quis audacissimus nebulo) ut
summo Pontifici risum moveret et hujus plausum sibi conciliaret,
captivo Deo insultans probrosam infringit alapam. Alapis (o miseria
omnium miserrima) in terris Deo qui in has terras ad promovendam
hominum salutem venerat, plauditur. Pudet caetera impudentissima
enarrare ludibria, quae ipsa nox, licet invita, in tenebris simul atque
undeque silentio voluit involvi: Supererat enim crudelissima illa contu-
melia, quam proxime sequens luctuosa vidit dies, ut amentissimi popu-
li optio, absoluto Barraba, optimum liberatorem, quem Regis Herodis a-
mentia, stultitiae candidatis adscripserat, ad necem rapuerit adeoque
5. in Herodis aula um latroni posthabuerit. Ita namque fit, ut delirantibus Regibus facile
etiam populus deliret. Verum tamen haec per ludibria saltem lu-
sit furor, jam serio rem ille aggreditur: Ah, ah, nolite, crudelissimi ve-
xatores, nolite vestem Regi augustissimae detrahere, quam unicam in
hac tanta rerum omnium inopia ad tegumentum nuditatis, profusis
in alios charitas reliquit. Ah nolite, o audacissimi scurrae, in hoc
frequentissimo theatro formosissimum omnium hominum, cujus
pudor purpureus oculorum vestrorum conjectu gravius, quam
6. in Pilati praetorio. virgarum ictu vapulabit, denudare. Ah quam infelix sum
vates, quod praedicere cogor delicatissimi sensus verecundiam subito ru-
bore suffundi: Heu, heu satis publico dedecore singularem modestiam
dulcissimi Iesu vulnerastis. Quid exspectatis praeterea, robustissimi lictores,
virgis tenerrimum corpus innocentissimi Iesu excarnificatis? O si tibi
mi Domine Iesu, ad servilem laniena declinationem vocem illam ingen-
uam et salutarem usurpare liceret: Civis Romanus sum. Sed commu-
nis eo temporis superstitionum omnium asylum Roma, falsis addicta
numinibus, civitate Iesum donare oblita fuerat: Extabescite ig-
tur, extabescite in lachrymas, o oculi, dum divini corporis nives prodi-
gioso furoris aestu in sanguinem solvi videtis! Ne, obsecro vos, ne
ultra lictores: Ventum jam est ad terminales dolorum columnas per ocea-
num hunc sanguinis: Neque enim non una, sed gemina columna, in illo
verberum turbine, in illa sanguinis alluvie fixa videntur, quarum una
e duro marmore, misericordia autem mollita, non dissilit, quam sponte dolor
obriguerit. Altera autem in vulnus mollissima, in tolerantiam tam
plane marmorea, cuius licet viribus, nolet fortitudinis sed stat invicta.
Age nunc heros fortissime, tenus haec immensa spatia fortiter
es emensus, perge, perge iuste ad coronae praemia, quam
militaris tibi plausus adornavit. Sit vero quorsd